IOHANNES DE TURRECREMATA
Süddeutscher Raum, 1477 Seite 75r
Quelle: https://manuscripta.at/?ID=31292
Copyright: Stams, Zisterzienserkloster



Existimasti inique quod ero tui similis consenciendo malis aut quia scelera tua statim non vindico putas illa michi placuisse, iniquum est hoc de me sentire. Unde arguam te indeficientibus flagellis puniendo et statuam contra faciem tuam peccata tua que tu modo non attendis ut videas feditatem tuam ut non corrigaris sed ut erubescas.
Et ideo propheta admonet omnes fideles dicens
Intelligite hec que iam commemoraui vos qui obliuiscimini deum eius mandata iniqua presumptione contemnendo, nequam rapiat vos de presenti vita ad eternam dampnationem et non sit qui eripiat, quia in inferno nulla est redemptio.
Intelligite etiam hoc quod sacrificium laudis non quale scelerati canunt sed quale pura mens consueuit offerre. Ipsum enim si cum fidei puritate et proba actione fuerit immolatum honorificabit me in quo sacrificio laudis est iter quo ostendam offerenti saluationem dei. O gloriosa dei semita que ducit ad celi terreque creatorem que si puro corde peragatur fit nobis illa scala iacob que nos ascendentes perducet ad celos.

Psalmus quinquagesimus In quo propheta monet peccatores exemplo sui ad penitenciam

Miserere mei deus secundum magnam misericordiam tuam quia magna est miseria mea. O domine indigeo misericordia subveni ergo grandi vulneri meo secundum misericordiam tuam magnam.
Et secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam confugio ad miserationes tuas ut grauibus vulneribus meis gratiam remissionis infundas multe sunt miserationes tue omnem exuperant magnitudinem quorumlibet peccatorum miserationes ergo tue deleant peccata mea quamuis uideantur ingentia.